



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. III. Vtrum Christus sumpserit, & discipulis dederis corpus suum
impassibile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Peti verò potest, num sumpserit se sacramentaliter tantum, an verò etiam spiritualiter? sed quaestio est magnà ex parte de nomine. constat Christum per hanc sumpcionem nullum recepisse habitus gratiae augmentum, sicut recipiunt ij, qui digne ad hoc Sacramentum accedunt, & eo sensu non posse dici spiritualiter recepisse; quia tamen sumpsit cum spirituali suavitare & dulcedine, dici potest sumpsisse spiritualiter & sacramentaliter; vt docet D. Th. responsione ad 3.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus dederit Iudae corpus suum?

AFFIRMAT, quod tenent communiter Doctores & Scripturae interpretes, asseruntque varij Patres. author sermonis de cena Domini apud Cyprianum dicens Iudam sacrum cibum mittere perdidit tetigisse, & ore percepisse. Chrysost. homilia 82. in Matth. in illud: *sero autem facto*, homilia 83. & clarissime homilia de prodicione Iudae. Hieron. in caput 14. Marci exponens illud: *et biberunt ex eo omnes*, Aug. tum plurimis alijs locis, tum tract. 10. in Ioan. & 62. Leo serm. 3. de passione, & alij. Docet autem D. Th. Christum id fecisse, tum vt suo expropter doceret ministros huius Sacramenti non arcere ab hoc Sacramento occultos peccatores cum aliquà eorū infamiā, tum, vt Iudam hac ratione emolliret. videri potest Chrysost. hom. 83. citatā.

Contrarium sentit Hilarius citatus à D. Th. can. 30. in Matth. qui censet Iudam ne quidem cenae Paschali interfuisse, cui suffragantur quidam alij, pro quorum sententiā potest obijci, quod Iudas statim post acceptam buccellam exiuit, vt patet ex cap. 13. Ioannis, Christus autem videatur buccellam porrexisse ante institutionem huius Sacramenti.

Resp. duplicem esse hac de re sententiam. Aug. tract. 62. citato & quidam alij censent buccellam fuisse traditam Iudae post sumpcionē Eucharistiae, iuxta quam sententiam nulla est difficultas. Alij verò existimant datam fuisse ante institutionem huius Sacramenti, S. Leo serm. 3. citato his verbis: *illa saltem te à praecepto tuo Sacramenta reuocassent, quae in Paschali cena iam de perditione tua signo diuinae scientiae detectus acceperas*, signum autem hoc fuit porrectio buccellae, & videntur fauere Matth. cap. 26. & Marcus cap. 14. iuxta quos Iudas videtur buccellā accepisse ante institutionem Eucharistiae, nimirum in cena legali. secundum illam sententiā difficultas est, quomodo hoc Sacramentum receperit, cum secundum Ioannem acceptā buccellā continuo exiuerit?

Dici tamen potest Iudam non recessisse, nullā interpositā morulā, sed cum post buccellam acceptam datū ei fuisset corpus Christi, & dictum quod *faci, fac citius*, hoc enim audito, statim discessit. Dicit verò Ioannes: *cum ergo accepisset buccellam, exiuit continuo*, vt indicaret causam, propter quam exiuit, nimirum quod post acceptam buccellam Satanas in eum introierit & fuerit in malo obstinatus, atque ad facinus patrandum à demone possessus. atque ita statim exiuit sumpta occasione ex illis verbis: *quod faci, fac citius*. vtrique responsio est probabilis, quamuis multi in priorem videantur consentire, iuxta quam dicendum Matth. & Marcus fuisse locutos per anticipationem, Lucam verò seruasse ordinem, cum post absolutum Eucharistiae myste-

rium dicit: *verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sumpserit, & discipulis dederit corpus suum impassibile?

RESPONDET dedisse passibile, modo tamen impassibili; nam, vt in superioribus dictum est, corpus Christi in hoc Sacramento existit in puncto, & proinde prout existit in hoc Sacramento non potest pati ab agente naturali. videri possunt dicta quaest. 76. art. 6. dub. 2.

Resp. neg.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset seruatum, vel consecratum, ibi moreretur?

RESPONDET quod fuisset mortuum, quod patet ex dictis q. 76. art. 2. dub. 2. cum enim anima sit tantum per concomitantiam in hoc Sacramento propter connexionem, quā partes in statu naturali inter se copulantur, eo autem tempore corpus in statu naturali non fuisset informatum animā, sequitur eo tempore non futurum fuisse informatum animā in hoc Sacramento, & proinde si tunc facta fuisset consecratio, ponendum Christi corpus mortuum, & si hostia antè cōsecrata manifestet in eo triduo consecrata, corpus eo tempore futurum fuisse sine animā.

Resp.

Nec obstat quod non fuisset vilo modo passum ab agente naturali, quia vt corpus quod prius erat viuum, sit mortuum, non requiritur vt patiatur à causā naturali.

QUESTIO LXXXII.

De ministro huius Sacramenti.

ARTICVLVS I.

Vtrum consecratio huius Sacramenti sit propria sacerdotis?



AFFIRMAT.

Aduerte conclusionem D. Th. ante tempora Wicleffi fuisse in Ecclesia indubitatam; ille verò, vt refert Waldensis tomo 2. cap. 28. cepit dubitare; nam quamuis conferret hoc officium decere sacerdotes sanctos, nihilominus existimauit posse etiam convenire laicis nō ordinatis. Lutherus autem absolute censuit quemlibet Christianum habere potestatem consecrandi, immò Sacramentum futurum ratum etiam si à diabolo conficiatur. censuit tamen extra tempus necessitatis nullum posse hoc officiū assumere, nisi legitime vocatum, idque ad vitandam confusionem. Calvinus ita requirit legitimum ministrum, vt Sacramentum sit futurum irritum, nisi à tali conficiatur. videri possunt apud Bell. lib. 4. de Eucharistia cap. 16.

Resp. affir.

Wicleff et

tor,

Et Lutheri.

Verum conclusio D. Th. quod scilicet solus sacerdos possit valide hoc Sacramentum conficere, D. Th. de fide, definita in Concil. Lateranensi, & referatur cap. firmiter §. una verò, de summā Trinitate,

Conclusio

D. Th. de

fide.

Cap. Firmiter.